



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

# **Cogitationes, Sive Considerationes Christianae Pro singulis Anni diebus**

Complectens Januarium, Februarium, Martium

**Nepveu, François**

**Monachii, 1709**

Dies 10. De cura salutis. Salus est negotium nostrum.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-60495](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-60495)

didisse. Sponte tua ab eo te separasti in **Februarius**,  
tempore, & vel invitus ab eo separatus  
eris in æternitate. Hæc separatio nunc  
delectationi tibi est, sed tunc extremi sup-  
plicij erit loco.

*Statue potius omnia, quàm DEUM perdere, quia  
perdendo DEUM omnia perdis.*

Voca nomen ejus non populus meus ;  
quia vos non populus meus ; & ego non  
ero vester. *Osee 1, v. 9.*

Ubi bene erit sine illo ? Aut quando esse  
malè poterit cum illo ?

---

## DIES X.

### De cura Salutis.

*Salus est negotium nostrum.*

#### I.

**S**alus æterna nostrum est negotium ;  
quod, si prosperum non habeat exitum,  
omnis jactura in nos redundabit, nec ullus  
in partem veniet. In negotijs lucri fera-  
cibus, sed discrimini obnoxijis societates  
contrahimus, præcautiones exigimus ;  
minus habere lucri malumus, modo pericu-  
lum incurramus minus ; cùmque alijs lu-  
crum partimur, dummodo & jacturæ socios  
habeamus. Verùm, ubi de animæ salute  
agi-

agi-

**Februarius**, agitur, nec societas, nec cautio datur.  
 Quivis periculum subire solus debet. Totum lucrum, totaque jactura ad ipsum pertinet; quivis sibi metipsum ferit, & meret.

II. Probus iste vir, qui tanto salutis tuæ ardet Zelo, qui tot ejus gratiâ labores in se suscepit, qui illam velut proprium negotium curavit, partem habebit lucri, si res felicem sortita fuerit exitum; non item jacturæ tuæ particeps erit, si minus bene successerit, quin quod in detrimentum, & damnationem tibi cedit, ipsi lucrum & meritum pariet. Amicus iste, in cujus gratiam conscientiam tuam læsisti; filius iste, cujus commoda salutis tuæ prætulisti, quem animæ tuæ impendiō occupaverasti, exitij tui participes non erunt; vel si eandem, quam tu, miseriam incurrant, id circo, quòd injustitiæ fuere participes; poenæ tamen, quas ipsi dabunt, magnitudinem tuarum nequaquam imminuet.

III. Quid sentires de homine aliquo, qui, cum alacer & fervens esset in alterius negotio exigui momenti promovendo, penitus negligeret litem, in qua de omnibus ipsius bonis, atque ipsa mer vitâ ageretur? Hanc sanè agendi rationem stultitiæ argueret. Et nihilominus sic multi hominum agunt, qui magnopere sapere videntur.

dentur. Nonne & tu sic agis? Homo iste <sup>Februarius</sup> mortuus est, inquit, ingentes sibi opes comparavit, multa bona, & insigne officium familiae suae reliquit. O hominem industrium! Quam bene negotia tua administravit! Melius loquere: Haec sunt negotia aliena, haec sunt negotia liberorum ipsius. At suum negotium, Negotium salutis quae tractavit? Tempus ei de hac cogitandi non suppetebat, mors improvisa eum praevertit. O hominem insigniter stultum! De alienis cogitavit, sui ipsius prorsus oblitus, & nugis ad se non pertinentibus intentus, suum unicum, & summi momenti negotium penitus neglexit. Familiae suae ad aliquot in mundo dies bene providit, & sedem pro omni aeternitate sibi in inferno fixit. O hominem insanum! *Ille sapiens est, Eccli. 37.* inquit Spiritus, qui sapiens est animae suae. Et qui animae sapiens non est, stultus reputatur.

*Statue salutis tuae negotium omnibus alijs praeferre, & nihil unquam agere, nec pro te, nec pro amicis tuis, nec pro liberis tuis, quod conscientiam tuam gravet, & salutis tuae negotium periculo exponat.*

*Qui sibi nequam est, cui bonus? Eccli. 14. v. 5.*

*Sapientibus & insipientibus debitor factus es, & te tibi negas. Bern.*

**DIES**